



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Bellum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Isocrati vero Eloquentiæ magistro, statua in columna decreta est ab Atheniensibus: quod octo jam & nonaginta natus annos ab institutione numquam cessavisset.

APOLLO AGYIEUS. CAP. XXXIX.

Conspiciæ fuerant apud Græcos columnæ quædam in con-
ni formam desinentes, quas ante fores erigebant Apollini
factas, ut vero quidam dicunt, Baccho, ut plerique alii, utri-
que: nam idem utriusque nomen esse, ostensum alibi. Hinc
Apollinem Horatius Agyieum nuncupavit. Eas non-
nulli aras vocarunt, sed columnarum omnino habere speciem
non inficiantur. De his apud Sophoclem:

*Ignibus odoris ara Agyiena nitent,
Suffitu balantes myrrha lacrymas barbaro.*



*ἀγυιεύς
columna
ante fores
stans, in
summa
parte a-
cuta.*

Sed cur non Græcos potius versus apponimus:

*λαμπὴ δ' ἀγυιεύς θωμὸς ἀκρίζων πυρὴ
σιμῶνης σαλαμῆς βαρβαρῆς ἑοσμίας,*

Ea vero de causa Agyieus dicebatur, quod hujusmodi columnæ in compitalibus vicaneisque viis
erigi consueverunt: ἀγυιαί enim viæ quæ ab utraque parte exitus habent.

VICTORIA DE PERSIS. CAP. XL.

Excogitata: etiam sunt columnæ trophæorum vice, quæ
victoriam ostenderet, cujusmodi porticus conomento
Persica Lacedæmone visebatur, victoriæ illius index, quam
Pausanias Agefipolidos filius consecutus est in Platæo præ-
lio, ubi parva manu ingentes hostium copias profligavit:
in cujus præclari facinoris memoriam statuas habitu Persico
pro columnis porticu subjecere.



*Persica por-
ticus.*

CARYATARUM OPPROBRIUM.

CAP. XLI.

Simile in Caryatas Peloponnesi populos exemplum edi-
tum, quorum mulieres matronali habitu stola quippe ad
pedes usque demissa, in captivitatem abductæ sunt, viris
prius ad unum cæsis, totius Græciæ in eos conspiratione facta, quod Persicas partes adversus Græ-
ciam secuti essent. Historiam in exemplo posuit Vitruvius.

BELLUM. CAP. XLII.

Liqua etiam columna belli significatum habuit, ut quæ Romæ olim erat ante Bellonæ templum,
super quam quotiescunque bellum cuiquam indiceretur, hastam jaciebant, ejus scilicet ominis
causa, quod spes esset per hujusmodi susceptum bellum, aut
hostes a finibus summovendi, aut ultra præscriptos fines
imperium proferendi. Ea autem columna Bellica dice-
batur.



*Caryati-
dum nomi-
ne intelligit
statuas mu-
liebres in
columnis:
mimicit
Plin. l. 36.
cap. 5.
Columna
bellica.*

SECURITAS. CAP. XLIII.

Invenire est in numis aliquot columnam ad securitatem ad-
ditam, ut in ea quem IMP. CÆS. VAL. HOS. MES. QUIN-
TUS AUGUSTUS cussit. Ibi enim muliebri signum mol-
li & enervato habitu stans, læva columellæ innititur, dexte-
ra palma furculum tenet supra verticem exporrectum: in-
scriptio est, SECUR. AUG. Quæ quidem species cum forte
antiquitus fieri solet, faciliè credendum purpureos Ty-
rannos hinc ab Horatio diciōs:

*Lib. 1. Car.
Ød. 35.*

Kkkk 2

Fortu.